

Dissertatio inauguralis medica de fuligine ... / [Johann Ludwig Christian Leutwein].

Contributors

Leutwein, Johann Ludwig Christian.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

[Altdorfii] : Literis magni Danielis Meyeri, [1722]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rdfuapjd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

18
DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA
DE

FVLIGINE

QVAM

SVB DIVINI NUMINIS
PRAESIDIO

CONSENSV ET AVTORITATE

GRATIOSISSIMAE

FACVLTATIS MEDICAE

IN

INCLYTA ALTDORFINA

PRO LICENTIA

VMMOS IN ARTE SALVTARI
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORVM
LEGITIME IMPETRANDI

PUBLICAE COMMILITONVM DISQVISIONI
SVBMITTET

AD D. XXVII NOVEMBER. A. MDCCXXII.

D. LVDOV. CHRISTIAN. LEVTWEIN
WALDENBURGENSIS HOHENLOICO-FRANCVS.

ALTDORFI,

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERL

WILLIAMS

QUAM

VR DIVINUM NVMINIS
PRÆSIDIO

58700 (8)



NOVITAT MEDICAE

PRO LICENTIA

AMOR IN ARTE SALVATA

OTIOSA PLEBIS DOCTORUM

LEGITIME IMPETRANDI

DUCE COMMISSIONE DISCIPLINAE

AD DR. JOHANNES A. WILCKIN

JOHANNES CHRISTIANUS WILCKIN

WILCKINUS

ALBERT

SECRETUM

P R A E F A T I O.

Linter ea, quae Medicis exprobrari solent, non ultimum hoc est, quod varias res sordidas nimis familiariter tractent. Neque hoc omnino negari potest, sed quotidianis exemplis urinae, cruoris, saniei, aliarumque sordium, ex humanis corporibus prodeuntium (quarum inspectio medicinam facientem saepissime necessaria est,) comprobatur. Praeterea remediorum, quibus morbi curantur, materia non raro a talibus depromitur rebus, quas plerique homines tanquam sordidissimas aspicere, multo magis attingere manibus, verentur; quod profecto de tot animalium stercoreis, de ipsa urina, de bufonibus, araneis, scorpiis, serpentibus manifestum est. Sunt insuper haec multa alia, quibus se mortales vel leviter contaminare formidant, medicinae nihilominus destinata, cujusmodi esse FVLIGINEM nemo diffitetur; et sane vulgo, negotium aliquod turpe ac odiosum detrectaturis, sicut in proverbio dicitur: Man möge sich nicht damit berufen. Laud igitur perperam objici medicis videtur illud cum rebus sordidis commercium: Ast enimvero, num propterea despiciatur nocere ipsos convenit, quod conservandae hominum valetudinis causa vitae in gratiam, tantum molestiae sibi sumant, & e rebus ingratis indicia praesentis ac futuri status sollicitè quaerant, & investigent quid faciendum sit? si pariter e contemptissimis & abjectis rebus saluberrima medicamenta conficere studeant? Neque enim ex pretio, sed ex virtute potissimum aestimare debeat remediorum praestantiam, & paulo amplius mereri videtur ille, qui vilia & facile parabilia medicamenta, in pauperum praecipue auxilium afferre, quam qui pretiosis saltem uti novit. Quare mihi etiam FVLIGO haud adeo indigna, nec sordida nimis & abjecta res visa fuit, quo minus eandem, propter multiplices egregiasque utilitates, quas humanae valetudini conferre potest, singulari exercitatione, Inauguralis Speciminis loco, publice commendarem. Faxit DEVS ut feliciter!

§. I.

Quanto magis tritum ac vulgo quoque usitatum est fuliginis vocabulum, tanto minus circa etymon ipsius & originis evolutionem me occupatum esse oportet. Vix etiam sine fastidio recensere possem inanes quorundam Philologorum conjecturas, quibus a *fusco*, vel a *furno* vel denique a *furno* derivari *fuligo* videtur. Probabilius a *fumo* appellata *fuligo* creditur, quasi *fumiligo*, quemadmodum: modo formatur *uligo*, quasi *udiligo*. Et sane ista derivatio eo majorem habet verisimilitudinem, quo clarius constat etiam physice *fuliginem* progigni ex *fumo*. Latinorum *fuligini* respondet Græcorum *λιγνός*, quod communissimum ipsis est vocabulum. Aliquid diversum quodammodo significare nonnullis videtur *ἀσβόλη* ἢ αὐτὸ ἰσβολῶν, & *αἰθαλή* aut *αἰθαλῶν*, quo etiam *Marcellus Vergilius* (a) inclinatur. Mihi autem *Dioscoride* ipsum evolventi liquido apparet, hunc autorem promiscue *λιγνόν* & *αἰθαλήν* posuisse ad designandam generatim *fuliginem*, τὴν ἀσβόλην vero speciatim *piciorum fuliginem* nuncupasse, quae qualis sit, nos infra docebimus. Germanorum commune ac veluti unicum *fuliginis* vocabulum est, *Ruß*, quod indigitandas differentias quasdam variis epithetis amplificari. e. g. *Ofen-Ruß*, *Glanz-Ruß*, *Rien-Ruß* &c. Si quis aliarum nationum *Synonyma* & *fuliginis* appellationes scire desideraverit, cum remitto ad *Mantissam Lexici Castello-Brunoniani*.

§. II.

In eo autem & Græci & Latini & Germani verè interconveniunt, quod τὸ *fuliginosum* praedicari possit ac soleat rebus quibusvis nigrore sordido inquinatis. Ita *Vulcanus* Homero (b) *αἰθαλώεις θεός*, *fuliginosus Deus* appellatur, & *Hippocrates* τὴν *λιγνῶδη γλῶσσαν*, (c) *fuliginosam linguam* dicit pro atra aridaque, & *λιγνῶδες σάλιον*, *salivam fuliginosam* (d)

(a) not. & commentar. in Dioscor. p. m. 93. (b) Iliad. L. H.
 (c) L. III, Epid. ægr, 12. (d) L. II. de morb.

ύελα denique λιγνυώδεια (e) *sputa fuliginosa* pro nigricantibus. Quoties latine loquentes τῆ *fuliginosi*, perinde ac *fumosi* appellationem ad quodlibet obscurum, sordidum, nigrum transferant; illi attinet dicere, nec similes Germanorum, praesertim hujus regionis, loquendi modos commemorare; quandoquidem vulgissimum est, rem unamquamque conspurcatam nigredine, *βερύσθι* vel *ρυσίγι* cognominare, quemadmodum opifices in ferraris officinis eadem de causa κατ' ἐξοχήν, per seria & jocum die *ρυσίγεν* nominant. Ad homonymiam *fuliginis* hoc porro accipue pertinet, quod idem vocabulum diversis rebus aliis imponatur, etiamsi nulla nigredine notatis: ita sordes, quae per uentem expirant & pulmonum exhalationes *fuliginum* nomine apud medicos veniunt, de quibus extant doctorum prolixae commentationes & integra dissertatio quondam hic loci habitata (f). Taceo, quod *arsenicum* & *Mercurius* a Chemicis quibusdam *fuliginis metallorum* titulo nuncupentur (g).

§. III.

Dimissa fuliginis onomatologia, quando nunc ad ipsius redefinitionem progredior, hanc non adeo expeditam deprehendo. Certe non satisfacit ista Galeni (h), quod fuligo sit materiae terreae ad plenum perustae exhalatio, differens a fumo, qui sit ex semiusta & humida materia proveniens exhalatio. Quamvis enim generis loco positam admisero exhalationem, utpote modicum generandae *fuliginis* declarantem, & ab ipsomet *Aristotele* (i) approbatam, attamen reliqua definitionis membra plerumque minus convenire videntur, praesertim quod attinet ad *specificantiam a fumo discrepantiam*. Neque vero *Aristoteli* penitus adstipulari possum, qui istud exhalationis in *fuliginem* veram abiturae genus nimium restringit, ad ceram, thus, picem, & huic similia corpora, lignorum vero exhalationem non nisi *fumum* esse sta-

A 3

tuit,

(e) Coac. praenot. (f) Praef. D. J. P. Brunon. Resp. Erdm. Kupiz. 1688. (g) Mart. Ruland. Lex. Alchim. p. m. 224. (h) adversus Lycum cap. 2. (i) Lib. III. Meteorolog. cap. 9.

tuit, quemadmodum olei & eorum quaecunque oleosa sunt *nidorem* duntaxat. Haec sane distinguendi ratio nimium subtilis ac praeter necessitatem facta esse, & solummodo diversarum producti formam externam, quoad densitatem aut raritatem respicere videtur. Mihi vero citra talem doctrinae subtilitatem licebit simpliciter ac generatim *fuliginem*, quae proprie dicitur describere, quod sit *concretum oleoso- aut sulphureo-salino-terreum, plus minusve densum aut rarum, plerumque nigrum ac foetidum, e rebus variis ignem flammamque concipientibus, et ipsius ignis, comburendo, sub forma fumus primitus productum.*

§. IV.

Concreti vocabulo in definitione uti ideo libuit, ut tacite quasi insinuarem, omnem fuliginem esse corpus imperfecte mixtum, & evidenter coagmentatum e diversi generis particulis non tam a natura quidem, quam artificio & casu conflatum. *Materiam* ex qua fuligo generatur, summatim appellavi rebus quae ignem & flammam concipere, & comburi possunt, tamen quaedam sint, quae promptissime exardescunt & conflagrant, neque tamen ullam notabilem stabilemque reddunt *fuliginem*, sed in vaporem aut fumum extenuantur, atque evanescent, quod sane spiritus vini, & sulphuris communis exemplo manifestum est. Ea igitur *Φλογοποιά* aut ignem flammamque alentia corpora tantum *fuliginem* praebent, quae praeter subtiliores oleosae salinas etiam crassiores sulphureas aut pingues atque terreas particulas complectuntur. Cujusmodi *in singulis tribus* (sic dictis *naturae regnis* multa & varia reperiuntur, cum primis vero *vegetabili*. Vix enim ulla est planta & arbor, ex qua ejusque partibus igne accensis & combustis, quemadmodum fumus elicita *fuligo* colligi nequeat. Praecipue autem e *lignis & corticibus*, nec non *lignosis radicibus, succis item pinguibus ac resinosis* (ne quidem camphora excepta) id fieri posse, multo notius est, quam ut verbis probari debeat. Ex *animali regno* similiter cuncta, quae ignem & flammam nutriunt, *fuliginem* praebent.

praebent, quod non solum de partibus duris, videlicet *ossibus & cornibus*, sed & molibus, quin etiam liquidis, e. g. *sanguine*, dummodo siccatis & ab humiditate aquea liberatis, nec non de *pinuedine vel adipe & axungia*, abunde constat. Scorsim e *bu-yro fuliginem* medicamentosam *Dioscorides* (1) conficere docuit, cuius nos rationem infra declarabimus. Denique ex *minerali regno* totum *bituminis genus fuliginem* impertire valet, quod non solum de *lithanthrace* seu *carbone fossili lignisque ac cespitiis bituminosis*, de *terra ampelite*, de *Gagate*, sed & de ipso *succino*, quin etiam de *petroleo*, & aliis bituminibus liquidis exploratum habetur.

§. V.

Et tot igitur tamque diversis materiis urendo & concrenando exsurgit *fuligo*, generaliter quidem una eademque, sed *secundum species combustarum rerum, & ipsius combustionis circumstantias, valde differens*, ut profecto arduum sit omnes *fuliginis* varietates observare, nedum scripto comprehendere. Nos primum *communes & genericas affectiones praecipuas paulo curatius* rimabimur, e quibus deinde speciales differentias aestimare facilius licebit, de *externis* quidem, & quae sensibus statim obviae sunt, *communibus fuliginis qualitatibus*, in definitionem traditis, & nemini ignotis, nil attinet repetendo dicere. Iurabit potius exponere illa phaenomena, quae ex analysi chimica *fuliginis* emergunt, & compositionem ejus ac veluti principia elucidant. In quavis igitur *vera fuligine* deprehenditur multum *olei empyreumatici*, nec parum *phlegmatis*, quod destillando provocatum secum vehit *Salis volatilis* modicum, *acido* quodam *spiritu* contaminatum ac veluti ligatum: maxima vero quantitas est *materiae terrestri fixae*, seu *capitis mortui*, quod enitum perustum aliquid *Salis fixi alcalici* elargitur. Horum principiorum proportio, secundum species ipsius fuliginis atque res, a quibus ea provenit, haud parum variat.

§. VI. Cau-

(1) L. II, c, LXXXI.

§. VI.

Causam fuliginis efficientem in definitione solum quidem nominavi *ignem*, quatenus scilicet urendo et inflammando agit in materiam idoneam; cui actui quantum commodet, quamquam necessarium sit *aëris ambientis commercium*, ne quidem verbis indicare opus est, cum nemo vel maxime rudis ignoret, sine aëris accessione ignem suam efficaciam exercere non posse, se protinus extinguere. Habet autem insuper in efformanda *fuligine* posteaquam ignis suo officio circa eandem jam defunctus est aër singularem utilitatem, quæ mox edocebitur, ubi prius communem originem, omnemque modum quo *fuligo* enascitur a principio breviter exposuero. Ignis igitur, materiae ad suscipiendum atque alendum idoneae admotus, compagem ejus celerrimo rapidoque motu suo dissolvit, et quascunque mobile particulas *in forma fumi* secum abripit atque dispergit, quousque agitatio ipsius continuatur, quod quidem per majorem aut minorem illius vehementiam, tum et corporum solidorum, quae circumposita sunt, distantiam determinari solet. Remittent enim ignis impetu, ac dissipatione fumi a corporibus objecti cohibita, particulae ejus horum superficiei ac parietibus sensim affigunt, et ab aëre circumfuso comprimuntur.

§. VII.

Quo magis autem crassus sive densus est aër, eo promptius atque largior succedit *fuliginis* generatio, quemadmodum videmus in ista conditione aëris, nocturno cum primis tempore, accensis facibus piceis, etiam sub dio, liberaliter descendere condensatas in *fuliginem* fumi moleculas. Multo autem facilius atque copiosius colligitur *fuligo*, si fumosae exhalatione ad solidorum corporum propinquorum latera, parietes, laquearia, fornices imprimis allisae, per eundem aëris circumfusi elatorem comprimuntur: quare camini seu fumarum per autumnum et hyemem verisque initium *fuligine* magis abundant, quam per aestatem, non solum quia illo tempore plus, quam per hoc

gnorum in foco consumitur, sed etiam, si par sit consumptio, mi tamen ab aëre gravi crassoque potentius in fuliginem dentur, quam ubi rarior leviorque atmosphaera extiterit. Caeterum aëris humida diathesis, ubi modum non excesserit, ad eius crassitudinem, & per consequentiam quoque ad *fuliginis* majorem proventum, contribuit, nimia vero eundem impedit, obliquando aut fientis aut jam factae *fuliginis* salia, totamque materiam ejus resolvendo in liquorem, cujusmodi stillationes, solo nubilo & valde humido existente, in caminis contingere vulgarissimum est.

§. VIII.

Quanto minus itaque obscurum est illud *aëris in perficienda fuligine officium*, tanto magis arduum est cognoscere, quomodo nis non tantum natura subtiliores ac proprie volatiles incensae materiae particulas, aqueas, salino-urinosas & acidas, tum & oleosas, verum etiam, quae ignis impetum alias sustinere, minusque hinc dissipari, sed stabiles permanere solent, salino-alcalicas nempe, fixas propterea dictas, ipsasque terreas, tanta copia simul in fenum resolvere, & in materiam fuliginis congregare queat? Ast enimvero, si consideretur ordinaria illa ignis violentia, rapacissimusque motus in materia, quae accenditur & comburitur, haud difficulter poterit mente concipi, quod non solum ipsiusmet ignis particulae tam velociter violenterque agitatae, & quaquaversum, praecipue vero in altum vibratae, & cum his una concitatae, similique impetu abreptae, corporum ardentium moleculae subtiliores, secum attollere & elevere queant alia, per se minus mobilia, sed graviora corpuscula: quam tumultuariam dissipationem non parum contribuere videtur exardescens materiae particularum dissimilitudo, in figura mole, ut unum genus earum mutua collisione alteri velut alas addere, & *in sphaeram fumi* semet invicem abripere queant. Nequaquam tamen neque hoc negaverim, quod, quemadmodum *ignis nime sincerus est corporum mixtorum analysta*, sed materiae,

quam sua vi invadit, dissolvit ac segregat, alienas saepe formas inducit, communissimo praesertim *empyrematis* exemplo, ita post dissolutionem istam ac dissipationem adeo confusam, materia denuo ad quietem se componens, ac per aërem, dicto antea modo, condensata, in aliud novumque schema converti, & quae hactenus *in ipso fumosae exhalationis actu* mere volatilis appa- ruerat, iterum quoad partem aliquam fixa reddi possit.

§. IX.

Hactenus ea tantum proposui, quae generatim circa fuliginis naturam & originem observanda veniunt. Opportunum jam erit, potiores ejusdem differentias, cum ratione materiae, e qua fuligo producitur, tum & formae, quam induit, strictius attingere. Ostendi autem antea in §. IV. *immensam esse varietatem materiae*, ut, perpauca rebus ignem alentibus excepti ardentia quaevis ac fumum emittentia corpora reddant etiam *fuliginem*. Caeterum hoc etiam est in confesso, quod *quaedam materiae prae aliis copiosiores, aliae aliam, variores sive subtiliores, aut crassiores magisque compactas, fuliginem praebant*, quod, sicuti per singulas materiae species accurate vix potest decerni, ita certum hoc est, tam *quantitatem*, quam etiam *qualitatem fuliginis* ex una eademque materia oriundae, plurimum *discrepare pro diverso ignis gradu & modo*, tum quoque *pro diversa conditione locorum, quibus fit ustio materiae, & fuliginis collectio*.

§. X.

Quoniam ergo illae *differentiae* in universum haud facile declarari queunt, consultum esse puto *aliquibus saltem exemplis* iisdemque notioribus, aut certe notabilioribus, *per artem ac studium quoddam conficiendae fuliginis*, varietatem ejus illustrare. Occurrit autem primum commemoranda *fuligo ista vulgata* quae, *ex residuo seu capite mortuo resinae impurioris in picem coctae* (quod operarii in Thuringia communiter *Pech-Gre* vocant) *elaboratur*. Modum ejus quam accuratissime descri-

. *Conr. Axtius*, in eruditissimo *Tract. de arboribus coniferis & pice conficienda* (m), cujus verbis, utpote illarum rerum maxime auctori ac fide digni viri, totum negotium exponere mihi liceat. Edificant in casa *fuliginis*, in *der Rienrauch's Hütten*, cameram quadratam undique clausam, ita ut ne rima quidem in ea relinquatur, per quam fumus evolare potest. Cameram hanc lubet vocare obscuram, quia revera est obscura, non tantum quod nullum lumen intrare possit, sed etiam quod illam fumus & *fuligo* undiquaque nigram & obscuram reddant. Haec undique est clausa, ut jam dixi, praeterquam in superiore parte, illa tamen minime est aperta, sed sacco lineo pyramidato undique expanso clauditur. Ad latus hujus camerae faciunt furnum oblongum, humilem, in extrema parte foramen habentem, in quo *residuum picis* accenditur. Furnus interior est cavus, & undique, praeter foramen illud, clausus, cavitas superius pertingit usque ad cameram obscuram. His ita fabrefactis, puer quidam ante foramen furni sedens, partem aliquam capitis mortui in foramine accendit, sique fere conflagrata est, ignis addit, & ita continuat, donec omne sit conflagratum. Ignis interim piceus per cavitatem furni intrat in cameram, ubi cum exitum non invenit, sublime petit, ubi sacco illi pyramidato adhaerescit & condensatur. Si itaque tantum *fuliginis* in sacco collegerunt, quantum satis est, puer saccum baculo pulsat, & ita *fuliginem* in pavementum camerae decutit. Haec deinde doliola & vascula latiuscula & longa, *Rienrauch's Kasser* & *Rienrauch's Butten* vocant, replent, & ita diveniunt.

§. XI.

Iam olim quidem usitatum fuisse *artificium parandi fuliginem ex resina aut pice concremata*, satis constat ex *Vitruvio* (n), cujus tamen descriptio est paulo obscurior, modusque colligendi, quantum apparet, rudior, quem *Plinius*, tametsi exscripsisse videtur

(m) Cap. XV. (n) Lib. VII. cap. 10.

deatur *Vitruvium*, penitus praetermisit, ac nihil de eo commemoravit, nisi quod pridem *aedificaverint* homines *officinas, resinae vel picis exustae fumum non emittentes* (o), & quod eodem modo *ex taeda fiat fuligo, & laudatissimum atramentum*. Similiter *Dioscoridis* (p) enarratio *modi fuliginem pictorum conficiendi*, tanquam eo tempore nimium vulgaris, vix quicquam memoratu dignum exhibet, praeter id, quod *ista fuligo, quae praestantissima sit, ex officinis vitriariis colligi soleat*. Singularem vero *fuliginis ex butyro producendae rationem* hanc tradidit (q): „Butyrum in lucernam novam ingestum accenditur, fictilique operculato, quod superne in siphunculi speciem desinat, & infima parte cuniculos clibani modo habeat, crematur, & subinde aliud in absumti locum sufficitur, dum coacervetur *fuliginis* modus, quem facere institueris: penna post deraditur ad usus.

§. XII.

Neque minus accurate idem *Dioscorides* (r) edocuit, quomodo *e pice liquida* producat *fuligo*: „In lucerna (inquit) nova, quae ellychnium habeat, nonnihil picis incendito, lucernamque fictili vase in clibani speciem conformato, superius in angustum fornicato, inferius perforato, ut clibani esse solent, operito, & adoleri finito: consumptoque liquore novum infundito, quoad sufficientem usui *fuliginem* collegeris. Omnibus autem prolixior est ejusdem Auctoris *descriptio fuliginis thuris* (s), hunc in modum: „Forcipula, lucernis accensis singulatim *thuris glebas*, in novam fictilem ollam concavam imponito: & aereo vase in medio perforato, deterfa diligenter forde, obtegito: alteram admoveto, ex altera ejus parte a utraque subjectis quaternum digitorum altitudine lapillis, quae facilius perspici queat, si urantur: & qua locus capax fuerit, glebularum alias supponito, & antea quam prorsus prior gleba defringatur

(o) Lib. XXXV. c. 6. (p) L. V. c. 82. (q) L. II. c. 82. (r) Lib. c. 97. (s) L. I. c. 85.

tinguatur, aliam imposito: donec sufficientem *fuliginem* vi-
 learis coëgisse. Continuo tamen externae aeramenti partes
 pongia, aqua frigida madefacta, abstergantur: ita enim tem-
 erato aeris fervore, *fuligo* omnis inhaerebit: quae alioqui
 er levitatem decidua, thuris cineribus admiscetur. Derasa
 aque *fuligine*, cinis cremati thuris seorsum subtrahendus est.
 dem opus, quoad satisfactum tibi videtur, obeundum. Si-
 nili modo e myrrha, styrace, resina, reliquisque lachrymis
fuliginem excipi posse, idem autor ostendit.

§. XIII.

Tot tamque diversas *fuliginis* e rebus diversis *praeparatio-*
es ideo recensere placuit, ut constet, quod nihilominus *con-*
stuntine omnium sit *principium*, *materia* scilicet qualiscunque *ad*
flammam concipiendam, *fumumque crassorem reddendum idonea*,
 quae igne exardescens, in loco plus minusve a solidis corpori-
 us prope aut remotius circumdato, inprimis autem altius for-
 icato, *fuliginem* exhibere queat, pro ipsiusmet materiae &
 èris ambientis, aliarumque circumstantiarum varia conditione,
 n quantitate & qualitate admodum inter se differentem. Cae-
 erum neque hoc penitus praetermittere possum, quod nonnun-
 uam *fuligo* possit oriri extra viciniam solidorum corporum,
 otissimo illius exemplo, *quae ellychniis instar fungi cujusdam*
adhaerere solet. Non vacat autem hujus phaenomeni tam vul-
 aris rationem prolixius expendere; videat L. B. num ea sibi suf-
 iciat, quam egregius alias Philosophus *Honoratus Fabri* (t)
 uppeditavit. Ego cognatum illi & saepiuscule confectarium hoc
 reviter attingo, quod iste *fuliginosus fungus*, quacun-
 causa mutato situ suo, & in alienum flammae statum translatus,
 b eadem facillime corripitur atque consumatur, ut adeo flam-
 na, si qua similitudine jocosa ejus naturam in hoc negotio vel-
 em describere, comparari queat Saturno, quem natos suos de-
 orasse, tradunt poëtarum fabulae. Fit autem hoc sane extra

(t) Phys. Tract. V. L. II. Propos. 102.

jocum, ut ignis productam a se in caminis ac fumaris fuliginem, a tuis sublatâ flammâ, incendat, & in fumum denuo diffundat.

§. XIV.

Quod autem de *fuliginis conflagratione* pronunciavi, nequaquam evenit, si *fuligo igne* (ceu chimici loquuntur) *clauso* seu vase accurate occluso, uritur. Quamvis enim prima vice si tractata aliquod ponderis detrimentum patiatur, repetitis tamen hujusmodi in occluso utionibus, nil amplius de suo pondere amittit. Hoc experimentum, sicut in *vulgari culinaria fuligine* certo succedit, dummodo vas exquisite clausum existat, etiam si contenta *fuligo* cum ipso vase penitus candeat, ut merum quasi videatur ignis, quemadmodum *Io. Nic. Pechlinus* (u) loquitur, ita idem quoque illustri *D. Stahl* (x) observante comprobatum est, circa illam *volatilem sive subtilem piceam fuliginem*, quae contra in aëre libero accensa, prunae instar candet atque universa in auras abit, ut vix modicum cinereae substantiae de magna ejus mole remaneat. Mihi sane hujus rei periculum facienti, ex unciis duabus *fuliginis camini* superfuerunt post illam utionem liberam, cinerum sesqui-drachma cum granis v. ex *fuliginis* alterius, quam *piceam & volatilem* antea nominavi, drachmis vi. tantum grana sex; quod tam insigne discrimen, quoad relictam a combustionem materiam ipsius *fuliginis*, secundum species, variam proportionem particularum revera volatilium atque fixarum satis arguit; neque dubium est, quin per alias *fuliginis differentias* diversa quoque proportio materiae constituentis per idem experimentum comparitura sit.

§. XV.

Caeterum quia de proportione particularum terrearum atque fixarum, a *fuliginis* perfecta exustione remanentium dispar est ut reliquorum etiam generum materiae *fuliginem* componentis proportionem, quousque hanc analysis chimica manifestat.

(u) de Purgant. med. facult. p. 60.

(x) Specim. Beccher, p. 120.

tat, experimento declarem. Verum autem satisque accuratam calculum D. Bourdelin posuit (y), quod fuliginis librae v. tenuem pulverem comminutae, per retortam decenter destillant praebuerint liquoris uncias XI. sale volatili foetas, acidi tantum non expertes, olei vero uncias XII. cum semisse, salis denique fixi drachmas v. cuiusmodi etiam proportionem ego supra §. V. haud obscure significavi. Hoc utique notandum est, quod eo plus olei & spirituosi liquoris obtineatur, quo magis viscosa & pinguis, atque instar succini nigri splendescens eligitur fuligo, qualis communiter Spiegel-Muß appellari, & in praerentiis aut caminorum vestibulis inveniri solet.

§. XVI.

Modum vero ista fuliginis contenta producendi, quam complures Spagirico - Pharmaceutici autores tradiderint, tamen clarius simulque brevius exponere me posse putavi, quam Illustris D. Io. Maur. Hoffmanni, Chimiae in hac Academia instauratoris immortaliter meriti, verbis (z): *Recipe fuliginis optimaе, qualem modo designavi, q. v. imple eadem retortam vitream loricatam aut terream, ad dimidium ferme, etque furno destillatorio commissa, & admoto recipiente capaximo, destillationem igne aperto, primum quidem leni, sensim vero per gradus augendo, institue; sic phlegma mox extillare deprehendes cum spiritu albicante, quod oleum flavum tandemque abeum cum Sale volatili, aliquando in prima statim destillatione conspicuo, subsequetur. Finita hac prima destillatione, oleum a spiritu segrega, huncque per phiolam oblongam rectificata, & morato igne elevabitur sal volatile, post assurget spiritus subtilior vitro probe custodiendus.*

§. XVII.

Diversam quodammodo methodum parandi fuliginis spiritum proposuit Rob. Boyle (a), quando prius fuliginem (perinde

ac

(y) Hist. Reg. Scient. Acad. a Io. Bapt. du Hamel edit. p. m. 404.

(z) Act. Laborat. Chim. Altorf. p. 153. (a) de Utilit. Philos. experiment, p. m. 371.

ac sanguinem humanum, eodem fine) praecipit cum duplo spiritu vini digerendam, per sex vel plures etiam septimanas, in balneo, aut fimo equino, deinde per alembicum in arena vel cineribus tantum liquoris extrahere jubet, quantum prompte, citra empyreumatis periculum, ascendat. Remanentiam ab hac destillatione vase exemptam committit retortae robustae & amplae, & pari modo, quo antea dictum est, propellit *Spiritum* praevio aliquantillo phlegmatis, comitante vel sequente *Sale volatili & oleo*. Ast enimvero, quam ob rem hic autor *laboriosam cum spiritu vini digestionem*, ejusdemque rursus *abstractionem* tantopere commendat, ego quidem haud perspicio, nisi forte existimaverit, *faciliorem principiorum fuliginis reclusionem* ope illius digestionis effici. Perquam probabile vero est, insignem copiam subtilioris materiae salino-volatilis oleosae, digerendo solutae, e *fuliginis* massa simul cum spiritu vini per primam destillationem abstrahi, residuum vero per hanc ipsam abstractionem inane ac deterius reddi. Taceo inutilem Spiritu vini jacturam, praesertim cum singularem istius abstracti liquoris utilitatem nullam autor laudaverit, & propterea forsitan nullam agnoverit, cum antea reprobaverit *Io. Hartmanni (b) modum rectificandi spiritum fuliginis cum spiritus vini quantitate dimidia*, quod hoc pacto *non purus fuliginis spiritus* impetretur quem tamen *Hartmannus*, perinde ac *oleum*, quod simul prod *depuratissimum*, & camphorae odorem referens, asseverat.

§. XVIII.

Utrum largior *Salis volatilis* quantitas e *fuligine* obtineat, si haec secundum *Iacobi Barneri* consilium (c) digeratur prius ac debite resolvatur in balneo, id quidem fateor me hactenus non tentasse, & vel ideo neglexisse, quod valde dubitenum experimentum operae pretium sit facturum. Hoc utique exploratum habeo, per institutam *rectificationem liquoris primum destillati*, super capite mortuo aut cineribus *fuliginis majori*

(b) Prax. chimiatr. p. m, 18

(c) Chim. Philosoph. p. 339

jorem salis volatilis candidi & consistentis copiam posse collatum etiam *oleum subtilius ac delicatius*, quod crassiores huiusmodi partes sic in fundo retineantur, ipsaeque acidae particulae, quae *sali volatili urinoso* compedes injecerant, in cinerum aut in capitis mortui alcalino-terrea materia figi videantur; quam etiam improbable non sit, sed aliis experimentis comprobant, quod *oleum, sali fixo capitis mortui aut cinerum alcalico rursus combinatum, et simul igne agitatam, aliquas ejus particulas sphaeram salis volatilis secum abripiat.* Hac igitur ratione, et modo, et satis purum sal volatile nancisci licebit: si quis tantum id ipsum *amplius depuratum*, et ab omni empyreumate (quod non debetur) liberum desideret, adhibere poterit *Boyleanum arcium (d)*, affundendo *spiritum vini summe rectificatum*, quod omni oleoso foetore sal exuet, ut ne quidem opus sit ad hoc, quam idem autor commendat, alius olei fragrantis, ad corrigendum, sive potius palliandum, empyreuma.

§. XIX.

Ut seorsim de *oleo fuliginis* aliquid commemorem, haud minus libet ea repetere, quae supra de ejus ordinaria proportione ad totam *fuliginis* compositionem, de discrimine inter id, quod destillando primum elicitur, *flavum ac tenuius*, & alterum, quod subsequitur, *rubeum magisque crassum ac foetidum*, de rectificatione item, qua secundum *Hartmanni* methodum longe *tenuius atque purius, camphorae odorem referens*, obtinetur. Hoc saltem breviter indico, quod intensior coloris et empyreumaticis in oleo gradus, non solum vehementiori *fuliginis* adustio, sed simul per ignis violentiam cum oleo elevatis crassioribus particulis, sulphureo-salinis, adscribi debeat; quod sane rectificationis phaenomenon clare ostendit, dum destillationi per altissimum ascensum denuo commissum *oleum*, adhibito mitiori ignis gradu, *longe tenuius, atque minus foetens* separatur a crassiore, graviter olente materia, quae in fundo cucurbitae relinquitur.

C

Non

(d) l. c. p. 420.

Non possum autem praeterire silentio peculiarem modum *parandi fuliginis oleum*, absque destillatione, a Rud. Glaubero (commendatum. *Coque fuliginem tamdiu cum aqua*, (vel quae melius *urina*) donec sanguinis instar rubescat aqua, quam experne hyemali tempore in vase terreo, frigori intensissimo; donec omnia in olla congelentur in glaciem albam: quo facto vas confringe, et in medio glaciei invenies oleum calidissimum, rubrum instar sanguinis, viribus nil cedens oleo destillato; quod etiam rectificare licet, unde vires ejus exaltantur.

§. XX.

Jo. Franc. Viganì (f) eundem fere describit processum hoc saltem discrimine, ut moles ampla fuliginis accumulata, *ipse in lapideam substantiam concreta*, suspendatur in frigidissimo rigore hyemalis aerae per LXXX. horas, aut plures, tum in *mediae massae confractae* inveniri affirmat balsamum viscosum concentratum. Optaverim ego, ut anni tempus occasionem permitteret, instituendi hocce experimentum! interea vix satis integer, quomodo in massa fuliginis sicca, et instar lapidis dura, solus aër frigidus tantam sequestrationem oleosae partis ad centrum massae, quod tamen pariter solidum sine dubio fuerit, efficeret. Quod si tamen, sive hac, sive Glauberiana methodo praestetur, de concentrata parte oleosa eo minus dubitandum erit, quo magis simile quid in cerevisia et vino evenire constat. Cæterum magis arridet istius liquidi appellatio *Viganiana, balsami*, quam *Glauberiana, olei*, quod non sincerum oleum, sed *sulphureo-spirituosum spissamentum*, aquosis et liquoribus dissolubile, illud fore, persuasum habeam. Quotem artificio Celeberr. D. Stahlus fuliginem puram, ab aere *superficialiter actuali adhuc pinguedine liberatam*, in *purem oleum & pinguedinem* reducere possit (g), illud quidem latere, lubens profiteor.

§. XXI

(e) Furn. Philos. P. II. p. 138. (f) Medull. Chim. p. m. 30. (g) Opuscul. Chim. Phys. Med. p. 762.

§. XXI.

De sale fixo tandem fuliginis etsi nonnulla jam ante protulerim, hoc tamen breviter addo, quod nimis liberaliter *insignem us copiam* e combusta in cinerem *fuligine* extrahendam, pollicantur diversi Scriptores chimici. Hos inter Clariss. D. Jo. Helfr. *tingken* (b) asseverat, *longe majorem salis alcalisati quantitatem impetrari, si prius calcinetur fuligo vase clauso*, igne in principio intentiori, postea teratur, denuoque igni (sed libero) commissa, baculo ferreo agitetur, usque dum colorem cineritium duat. Causam largioris hoc pacto colligendi *salis fixi* copiam, autor rejicit in *salis volatilis conservationem* in prima, vase clausa uisione, ejusdemque *cum aliis fixioribus a natura partibus combinationem*, ut sic in naturam *salis fixi* transmutetur *quasi sal volatile*; quæ sane theoria satis speciosa apparet. Mihi vero, experimentum capienti, haud satis feliciter respondit effectus, *neque enim isto modo calcinata fuligo, notabiliter majorem salis copiam elargita est.* Cæterum qualis communiter ejus sit *oportio*, supra jam in §. XV. indigitavi, cui observationi aliquam partem affundit, quod in §. XIV. commemoravi, de magno isto incremento capitis mortui *fuliginis*, dum in aperto igne in cineres exuritur, unde haud difficulter potest intelligi, quod, cum maxima pars inter calcinandum avolet in auram, *e paucis cineribus relictis, exiguum salis elici possit*; quin etiam hoc velut a priori cognoscere licet, quoniam isti *cineres* quantulicunque, *se gustentur, parum acredinis referunt.*

§. XXII.

Sed jam satis fufe dixi de *chimica fuliginis analysi*, per quam *ius natura* evolvitur, ut nunc facilius constet, *quid medicina fuligine sibi possit promittere.* Quod si *primas*, a Philosophis olim dictas *qualitates in fuligine* rimari & æstimare vellet, utique cum *Galeno* (i) statuendum foret, *in quarvis fuligine*

C 2

(b) Chim. experimental edit. noviss. p. m. 720. (i) de simpl. Medicament. Facult. Lib. VII. p. m. 475.

ne exsiccandi qualitatem aut facultatem eminere, totamque ad naturam ejus terrenam apparere. Quamvis enim in sua compositione, ceu jam sufficienter fuit ostensum, haud exigua quantitas subtilioris materiae, salino-sulphureae, vel (ut Galenus loquitur) *quasdam etiam ignis, qui materiam combussit, reliqua contineat, tenuiumque sit partium*, istae tamen subtiliores particulae, gravioribus fixisque terrestribus involutae & conclusae praesentiam & energiam suam vix queunt exhibere, nisi a ignis impetu, aut liquorum solventium virtute expediantur reliqua mixti compage. Istam igitur siccandi potentiam exercet fuligo quaelibet, quousque sibi relicta & concreta, humano corpori applicatur, extrinsecus imprimis, diverso licet, pro diversae specie gradu, & majori aut minori caloris & acridinis concursu. Quale discrimen etiam Galenus l. c. agnovit, quando *fuliginis thuris, siccando quidem valentior, est sine acridine*, ipsi vero similem, quae ex *terebinthina & myrrha* producitur, sed e *styracis* valentior, magis etiam *picis liquidae*, quin adhuc amplius *dri fuliginem*, pronunciat.

§. XXIII.

Sicut autem *fuligo* secundum species rerum, a quibus tur, virtute & effectu differt, ita longe magis determinat usum *diacrisis* seu *dissolutio*, in diversas quibus componitur res. Hanc duplicem statuere necesse est, *naturalem & artificialem*. Per illam intelligo, dum intro assumpta *fuligo*, recluditur in ventriculo per liquorem gastricum, & alios ibidem contentos humores. Quamvis autem hanc *non semper omnino effectam* evenire existimem, verosimile tamen est, in ventriculo non admodum debili & male disposito talem fieri, ut aliarum rerum etiam firmioris compagis, ita quoque *fuliginis solutio* quae *subtiliorum & imprimis activarum partium segregatio* atque in massam sanguinis translationem post se trahere queat. Tametsi vero etiam sine dubio *quaedam fixiores sulphureo-terreae partes* simul transportentur, praecipuum tamen

valetudini praestabunt *particulae tenuiores, volatiles, salino-oleosae*, quarum maxime explorata *virtus est in attenuando, resolvendo & aperiendo*. Hinc facili conjectura licet assequi *multiplicem fuliginis in substantia assumptae utilitatem*.

§. XXIV.

Debet autem, pro interno usu, eligi *fuligo camini optima & purissima*, qualem in §. XV. designavi. Hujus drachma una in *pleuritide* exhibita multum confert *Riverii (l)* testimonio. Proderit autem sine dubio *sanguinem in pleura stagnantem, aestuantem & ichorentem discutendo, ejusque corruptionem corrigendo*, per antea laudatas subtiliores salino-sulphureas particulas; quod sane apparet exinde, quoniam *spiritus fuliginis*, atpote iisdem particulis constans, similiter, imo efficacius conducatur in eodem affectu, *Hartmanno, Riverio*, aliisque peritis medicis asseverantibus, quem etiam in *casu ab alto*, aliisque casibus, ipsa inprimis *sterilitate*, & ubi volatilibus rarefactivis opus est, depraedicat *B. Wedelius (m)*. Nec alieno nititur fundamento pridem ab *Hippocrate (n)* commendata *virtus fuliginis in expellendo foetu mortuo*, ubi ipsam cum cancris fluviatilibus, rumericis ac rutae radicibus tritam, & cum aqua mu'sa unitam, sub dio per noctem expositam, parturienti bibendam suadet. Parturitione *secundinas remorantes* in multis puerperis *D. Froeschelius* exegit, domestica medicina, *pane scil. siligineo, fuligine abenz probe tincto, ad comedendum exhibito*, narrante *Achille Gassero (o)*: ad quem locum *Georg. Hier. Velschius* notavit, *fuliginem uterinum esse remedium*, etiam mulierum experimento; quod iterum confirmat *spiritus fuliginis*, cum spiritu secundinarum aequali portione usus, in partu difficili probatus *Io. Jac. Waldschmidio (p)*. Quare tanto minus mirari decet, quod, fidem faciente *Io. Mishaële (q)*, *fuligo camini* ad drachmam unam, in

(l) Prax. Med. Lib. VII. cap. 2. p. m. 442. (m) Compend. Chim. p. 50.
 (n) Lib. I. de morb. mulier. §. 128. (o) Obs. Med. a G. H. Velsch.
 edit. N. XC. p. 42. (p) Oper. p. m. 365. (q) Prax. Clin. general.
 Part. I. Lib. V. c. 32.

ovo forbili data, valeat in *Epilepsia uterina*, cujus experimenti successum certiorum ego putaverim, sicubi a mensium difficultate, aut uterî obstructione malum originem duxerit, ut ita fuligo posset aperiendô succurrere; quamvis etiam, quod alios epilepticos juvare queat, serio testetur Io. Andr. Stifferus (r), aliquoties nempe sibi probatam vim epilepticam fuliginis crudae, quam, cum rasura martis in pilulas redactam, haud semel vilioris fortunae hominibus, aut rusticis, adversus *Epilepsiam* commendaverit, plures quoque harum pilularum usu satis diu continuato, ab epileptico morbo (cum quo per aliquot annos conflictati erant) auxiliante Deo liberatos meminerit. Talium experimentorum notitiam si habuisset Io. Schroederus, neutiquam statuisset (s), quod fuligo per se rarî sit usus, nec adhibeatur, nisi quod eam in suffocatione matricis cum successu propinatam esse mulierculis plebejis meminerit. Quare Frid. Hoffmannus (t) modeste corrigit Schroederum, quod apud vulgus sane non rarî usus sit fuligo, sed in contusionibus, casu ab alto, lipothymia, febribus cum aceto soleat offerri.

§. XXV.

Longe autem amplior est utilitas, pluribusque in casibus probata virtus praeparatorum e fuligine medicamentorum, quorum quidem aliqua jam commemoravi, quae scilicet per chemicam distillationem obtinentur, spiritum puta, sal volatile, & oleum, & quod a residuo seu capite mortuo elici potest sal fixum. De hoc ultimo nihil nunc opportune profiteri possum, quoniam externis tantum iisdemque perpaucis destinatum est usibus. Dicam ergo sigillatim de reliquis, tali modo, ut singulorum singularem efficaciam in his illis morbis exploratam enarrem, convenientiam vero in quibusdam casibus pariter indigitem; quam sane, quanta sit, haud difficulter praesumere licet, cum satis clare constet, quod spiritus, in liquorem resolutum sal volatile,

cum

(r) Act. Laborat. Chim. Helmstad. Specim. III. c. 8. (s) Thesaur. Pharmacolog. p. m. 730. (t) Clav. Pharmaceut. p. m. 584.

cum olei subtilioris portione simul contineat, ipsum vero oleum de sale volatili participet, neque hoc illius consortio penitus caeat, nisi fortassis curioso nimis artificio, cujus in §. XVIII. meminimus plusquam necessarium instituat divortium. Et profecto, si fateri licet quod mihi videtur, *supervacaneam puto istam diligentio-rem salis volatilis, ab omni oleo sequestrationem*; tametsi nim hoc pacto suavius obtineatur, *nonnullis tamen in casibus* .g. hysterici epileptici, nihilo præstantius, sed fere *inertius* observabitur. Utique autem oleum admittit rectificationem, indeque ad internos usus paulo magis accommodatum redditur. Cæterum spiritus fuliginis rectificatio, ut Medicinæ utilior fiat, *non omnem olei sequestrationem, sed hujus duntaxat subtilioris, cum sale volatili exactam combinationem, et concentrationem a liquorem* postulare videtur. Multum vero ad bonitatem & efficaciam spiritus illius (meo quidem judicio) facit, quod *sal volatile urinoso-alcalicum, acidulis quibusdam particulis temperatum*, & quasi correctum possideat, ideoque a spiritibus Cori Cervi, Eboris, & qui ab aliis animalium partibus destillantur, modammodo differat, magisque ad spiritus Tartari naturam ininet, hoc ipso tamen subtilior existat.

§. XXVI.

Utrum vero *e quercu & larice nata fuligo* præstantiorem æque alia fuligine spiritum cum oleo elargiatur, quemadmodum *artmannus* autumat, ego quidem dubito, neque tamen infirmior, quod credam, *e lignis*, vulgo *duris* appellatis, cujusmodi sunt *quercinum, faginum, betulinum*, productam *fuliginem magis acidulum præbituram spiritum*. Quicquid tandem horum fuerit, e dictis haud obscure puto elucere *facultates spiritus fuliginis communes* cum aliis ejusdem generis, partim jam laudatas *in resolvendo, discutiendo & aperiendo*, a quibus *aphoreticæ, diureticæ, emmenagoga*, quin etiam *alepharmacæ & febrifugæ, antepilepticæ & anthystericæ*, facile derivantur. Adversus capitis quosdam affectus, *catarrhos*
in

in specie, tum & *epilepticos*, & *apoplecticos insultus*, procul dubio efficacior erit *spiritus fuliginis succinatus*, ex utriusque scilicet aequalibus partibus decenter destillatus, & super cineres clavellatos, aut calcem vivam, rectificatus, qualem *B. Wedelio* quondam in usu fuisse, affirmavit mihi benevole Excellentissimus *L. Lentilius*, Archiater Duc. Würtemberg. Celeberrimus, Fauto & Patronus meus summopere colendus. Fortasse analogae fuit compositio illius empirici, *Rob. Boyleo* cogniti, ob curas perfectas famosissimi, maximeque ob remedium certum, cerebri morbis, nunc sub *auri potabilis*, nunc vero *panaccae* nomine feliciter adhibitum, celeberrimi, cujus *primarium ingrediens* esse comperit *Boyleus (u) spiritum fuliginis*. Quamvis autem hunc tam invidendo ac portentoso elogio condecorare ego haud sustineam, non possum tamen ex altera parte in *Dan. Ludovici* sententiam ire, qui *(x) fuliginis spiritum, sive vulgaris fuerit, sit speciosiori ratione paratus, aliis ejusmodi spiritibus longe postponendum censuit.*

§. XXVII.

Quae haecenus de *spiritus fuliginis interno usu* ejusdemque multiplici effectu saluberrimo exposita sunt, bonam quoque partem *in oleum* illius quadrare videntur, praesertim, ubi id rectificando a crassiore empyreumate liberatum fuerit, quale est illud ipsum a *Hartmanno* l. c. tantopere laudatum, quod spiritui longe anteposit. Ejus enim guttas tres *agonizanti aegroto* in aceto exhibitas mirabiliter eum refocillando resuscitare testatur unde & hanc *δοκιμασίαν* imminentis mortis animadvertere licet; si fudor post exhibitum oleum copiosius emanarit, signum indubitatum sanitatis & convalescentiae erit, si secus, mortis. Atque hoc esse verissimum, a semetipso non semel probatum affirmat *Frid. Hoffmannus* l. c. qui etiam aliud *ex fuligine oleum mirabile* conficiendum docet, hoc modo: Recipe *fuliginis splendens, succini albi, ana q. v. destilla lento ignis gradu ex are*

(u) l. c. p. 223. (x) Pharmac, modern. secul. accommodand. p. m. 213

per retortam, primo phlegma, dein spiritum album, & ultimo oleum album & rubrum cum sale volatili prodibunt, postea oleis separatis, liquorem per maris balneum rectificat, & acquies sal volatile; oleis deinde affunde spiritum vini, digere aliquantisper, deinceps destilla, & nancisceris oleum camphorae odorem aemulans; hujus dantur guttae tres in omnibus fere affectibus. inprimis in pleuritide; imo agonizantibus exhibitum, edit miracula. Idem autor alibi (y) hoc oleum specificis antepilepticis accenset remediis, cujus guttas septem, in aqua liliorum convallium propinatas, caducum strene domare tradit.

§. XXVIII.

Caeterum sicut iste *Hoffmannianus olei fuliginis* componendi modus, solius fere succini accessione, ab *Hartmanniana* methodo discrepat, ita rursus alium praescribit ipse *Hartmannus* veris seqq. Quod si cum fuligine vulgari nostrate fuligo laricis, vel etiam quercus misceatur, exindeque more usitato eliciatur oleum correctum, multum id praestabit in caduco & contractura, synopen & lipothymiam solvit, spiritusque animales vehementer excitat & corroborat. Verum enim vero, num singularem haec diversis fuliginibus compositio olei, prae illo ex unica communi fuligine, ipso effectu habitura sit praerogativam, experientis amplius confirmandum relinquo. Interea salis etiam volatilis mentionem aliquam seorsim habendam mihi esse video. Hoc ipsum a scoris sulphureis depuratum, albissimum, instar camphorae granulatae, anteponit oleo *Frid. Hoffmannus*, l. c. & ex eodem cum calce auri sublimato, promittit sulphur auri, per spiritum vini postea extrahendum; de cujus laboris felici eventu, ut certe, num operae pretium sit facturus, ego quidem subdubito; neque etiam hoc possum comprehendere, quod in univsum, & in quolibet casu, sal istud volatile fuliginis, adeo exquite ab oleo separatum praestet. Cum enim oleum, etiam solitarie exhibitum, sicut antecedente §. declaratum est, multiplicem

D

& exi-

(y) Meth. Med. p. 282.

& eximiam praebeat medicinam, ejusdem qualiscunque participatio efficaciam salis volatilis non modo non impedire, sed in aliquibus casibus promovere poterit, quemadmodum etiam de spiritu fuliginis in §. XXV. fuit ostensum. An vero, eodem Hoffmanno asserente, hoc sal unum e maxime volatilibus corporibus, in tota rerum universitate sit, excepto eo, quod ex tartaro elicitur, peritiores chimici decernent. Caeterum ad singulares usus salis illius hoc referendum puto, quod sit praecipuum ingrediens ac veluti basis remedii specifici adversus atrophiam, ab Henr. Screti compositi, cujus descriptionem, Celeberrimi Viri D. D. Lentilius (z), & Zvingerus (a) exhibuerunt, ipse vero autor non tantum in communi atrophia infantum, sed etiam in scrophulis, & in rachitide magno cum fructu adhibuisse fertur.

§. XXIX.

Ab his haecenus recensitis, e fuligine, per destillationem parandis medicamentis, ad ea nunc transeo, quae per artificiosam solutionem & extractionem obtinentur. Horum in ordine, praecipuum est inventum Gabr. Claudi, quod ipse titulo *Essentiae alexipharmacae* celebravit (b). Modus componendi summatim hic est: Recipe cinerum clavellatorum partes II. salis ammoniaci p. I. vel paulo amplius, solvantur simul aut separatim in q. aquae communis, cavendo exhalationem salis volatilis ammoniaci. Liqueor, per subsidentiam, aut filtrum purificatus, superfundatur fuliginis optimae s. q. ad eminentiam aliquot digitorum vitro bene clauso aliquoties agitetur materia; sic brevi temporis spatio fiet subtiliorum in fuligine partium oleoso-salinarum solutio, & in liquorem affusum susceptio. Quod si pro alexipharmaco ac diaphoretico fine, in locum aquae communis substituatur destillatae quaedam congruae, e. g. sambuci, flor. acaciae, cardui benedicti, scabiosae, &c. sine dubio essentia erit accommodatior. Debet autem utique servari illa salium proportio: quod si enim

(z) Miscellan. Med. Pract. P. III. p. 59. (a) Theatr. Prax. med. Append. p. 607. (b) Meth. balsamand. cadav. cap. 7. p. m. 188. seqq.

(sicut quaedam descriptiones habent) utriusque salis quantitas aequalis accipiatur, futurum ego prorsus arbitror, ut *neque salis volatilis in ammoniaco, neque in fuligine existentis, sufficiens contingat evolutio.*

§. XXX.

Vix fatis idonea *Clauderus* invenire verba potuit, quibus eloqueretur multiplices, admirandasque *virtutes illius essentiae*, tam facili negotio, exiguisque sumptibus conficiendae. Illas vero *generaliter* consistere asseverat, *in vi diaphoretica, diuretica, aperiente, purificante, abstergente, resolvente, atque ita cordiali, bezoardica, febrili, nephritica, expectorante, antipleuritica, catarrhali* quam vocant, *nervina & similibus.* Bene autem monet autor, se scribere haec medicis methodicis, qui antiquum illud *sapienti satis*, intelligant. Caeterum *magna sane hujus medicamenti hodieque est celebritas*, ut alibi locorum, ita seorsim in mea patria, & in ipsis *Celsissimorum Domus Hohenloicae Comitum* aulis, vulgatissimo nomine *der schwarzen oder Ruß Tropffen.* Quamvis autem, nusquam non certis, imo bene multis in casibus, admodum conducere posse illam *fuliginis essentiam*, persuasum habeam, singulariter tamen popularibus meis eandem prodesse, ideo arbitror, quod *dietae vinosae, & praesertim novellorum crudiorumque vinorum noxam*, indeque natam *vitiium humorum dyscrasiam, & viscerum obstructions corrigere, & auferre* queat. Testem hujus experientiae, omni exceptione majorem appello Laudatissimum *Dn. Lentilium*, qui per ista nomen lustra, quibus medicinam diversis in locis praesertim in Suecia felicissime fecit, eodem medicamento *in stasibus humorum quibuscunque expediendis* familiarissime usus est.

§. XXXI.

Duas alias, quodammodo discrepantes, fuliginem solventi, & ad medicas utilitates extrahendi rationes proposuit *Jo. Andr. Stisserus (c)*, *Elixiriorum* titulo. Horum alterum con-

D 2

ficitur

(c) Specim. I. c. II.

ficitur per spiritum vini, non ab omni phlegmate liberatum, floribus salis ammoniaci cum sale communi sublimatis saturatum, unde per aliquot horarum digestionem, emergat *elixir diaphoreticum ac diureticum* egregium, cujus drachma semis, ad scrupulos duos, feliciter medeatur *febribus intermittentibus*, praecipue *quartanis*, nec non *cachexiae, ictero, &c.* Altera compositio recipit *spiritus vini & urinae*, aut (quod suavius reddit medicamentum) *spiritus salis ammoniaci cum sale tartari parati partes aequales*, & quantum sufficit ad certam *fuliginis* molem dissolvendam, & extrahendam. Circa hunc vero modum observari debet, ut digestio fiat optime clauso vase, ut salino-volatiles particulae conserventur, quarum in gratiam quoque omittenda est filtratio liquoris, idemque per inclinationem tantum separandus, & accurate clauso vitro asservandus. Huic *elixirio* auctor *insignes* adscribit *vires in morbis convulsivis, doloribus colicis & nephriticis &c.* offerendo paulo minori dosi, a scrupulo uno ad drachmam semis. Caeterum, vel me tacente, lectores chemicarum rerum non penitus imperiti, facile intelligent, discrimen inter ista duo *elixiria* potissimum consistere *in diversa salium*, quae in menstruis continentur, *natura*. Hinc *prius elixir* magis de sale ammoniaco enixo, alterum de volatili-urinosa ejus portione, participat; quo etiam fundamento unice nititur dispar utriusque effectus. Mitto plura talismodi *solutionum fuliginis exempla*, & illud inprimis, quod *Clauderus (d) Tincturae auræ* pomposo nomine insignivit, quamvis aegre mihi persuadeatur, isto, non minus laborioso, quam sumtuoso processu, *veram auræ tincturam* impetrari posse, & tale medicamentum, quod operae pretium sit facturum.

§. XXXII.

Nunc autem opportunum utique est, ut ad *fuliginis, ejusdemque preparatorum, externos usus* pariter declarandos transeam, edisserendo primum, *quid fuligo in substantia extrinsecus adhibi-*

(d) l. c. p. 202.

adhibita efficiat? Ostendi autem jam supra, in §. XXII. quod *fuligo* qualibet, *sibi relicta*, forinsecus præsertim applicata, *siccandi vim exerat*. Hoc igitur fine commendatur a *Dioscoride* c. *fuligo thuris, butyri, picis liquida*, *adversus oculorum fluxiones, & ophthalmiam humidam, quin & inflammationes & exulcerationes*; quibus in affectibus consultum esse videtur *camphora fuliginem* eligere, tametsi magnam ipsi prærogativam non auri attribuere, nec intelligam, cur *Dioscorides* alibi (e) seorsim præferat *e populo nigra collectam fuliginem, saliva subactam*, ad easdem defluxiones? Hoc equidem persuasum habeo, in hujusmodi casibus convenire *fuliginem quam maxime subtilem, & omnino acridinis fætorisque expertem*, qualis profecto est conditio nominatarum antea specierum. Sicut autem, *non tam simpliciter siccando, quam simul absorbendo, & corrigendo humorum irmoniam*, partim etiam *leviter repellendo* illorum affluxum, istis oculorum affectibus prodesse *fuliginem*, probabile est, ita simili ratione conducet in *Ozæna*; quo casu *Guil. Rondeletius* (f) *fuliginem candela ex cera rubra confecta*, in cubiculo bene clauso & angusto, sub forma fumi naribus jugiter attractam, tantam optimum remedium extollit, eoque aliquando tale ulcus curasse testatur, quod neque ab Italis, neque a Gallis medicis nari potuerat. Etsi vero autor, *quid cera rubra hic præstiterit*, discrete non indicet, manifestum tamen est, quod *cinnabari, hydrargyro & sulphure compositæ*, qua cera tingitur, utilis sit accepta referenda.

§. XXXIII.

Porro ad *fuliginis, in exsiccando virtutem* pertinent experimenta a *Christoph. Landrino* (g) laudata, quod scilicet *in arena*, tum & *aliis affectibus psoricis*, cute prius bene perfri-
ca, præmissis etiam internis medicamentis, *fuligo subtiliter in aceto forti subacta*, nobilissimam præbeat medicinam. Ego

D 3

autem

(e) Parabil. Lib. I. c. 28. (f) de curand. morb. Lib. I. c. 65. (g) Hauff; Arguey / fol. d. 1.

autem cavendum hic esse arbitror, *ne quis hoc usufiat periculosus humorum repulsus*. Certe enim, quod *adstringendo* simul valeat *fuligo*, præcipue cum aceto remista, confirmant observationes medicorum non paucae, quàm *diversi generis hamorrhagias sedaverit externus ille fuliginis usus*. Memorabile præcæteris hanc in rem judico *Benjam. Scharffii* (b) testimonium sequens: In persona illustri *lochiorum fluxus nimius*, miraculi instar, brevi intervallo sistebatur sequenti remedio: *Recipe fuliginis fornacum q. v. aceti vini, vel cujuslibet acerrimi, q. s. misce, fiat instar cataplasmati, quod linteo exceptum applicetur infra genua, & exsiccatum renovetur*. Tentavi idem remedii genus postea pluries in nimio mensum fluxu, & semper, remotis etiam omnibus aliis, illico in principio exoptatus successus est subsequutus, imprimis vero, in sanguinis constitutione serosiori, acriori & tenuiori, ut & præmissa venæsectione in plethora, &c. Eundem plane efficacem *fuliginis usum in hamorrhagia uteri*, aliis remediis incassum adhibitis, a se observatum mihi coram asseveravit praelaudatus *D. D. Io. Maur. Hoffmannus*.

§. XXXIV.

Non solum autem *in sanguine sistendo*, sed etiam *vulnerum sclopetorum dolore mitigando*, perutile officium præstare *fuliginem* testatur *Waldschmidius* (i), & hunc in finem commendat *linimentum ex fuliginis splendentis uncia dimidia, vitell. ovi, olei hyperici & spiritu vini ana q. s. compositum*, addita ratione quod cum in hisce casibus major adsit contusio, non debeant habere vim humectandi, sed exsiccandi potius medicamenta. Similiter *adversus bubonis, etiam pestilentis dolorem*, *Nic. Chesneau* (l) sequi laudavit *Cataplasma: Recip. fuliginis uncias jv. salis subtiliter pulver. unc. ij. vitell. ovor. N. iij. misce & calidum appone*. Fortassis haud immerito huc etiam traherem *Pilulas, a Jüngkeno contra odontalgiam præscriptas* (m), quarum ingrediens ra-
tion

(b) Miscellan. Acad. N. C. Dec. III. Ann. V. & VI. Obs. 85. (i) l. c. p. m. 379. (l) Obs. Med. p. m. 594. (m) Compend. Chirurg. p. 457.

ione ponderis præcipuum est *fuligo*, tametsi cum opio, aliisque narcoticis conjuncta sit. Credibile vero est, in istis casibus, *non am proprie dolorem sedando, quam ipsius causam corrigendo, parim etiam discutiendo, juvare fuliginem*, cum primis illam vulgarem e caminis, quæ paulo magis evolutas ad sensum exhibet particulas salino-sulphureas, odore & sapore teste. Huic propterea *acultas* etiam tribuitur *blande cathaeretica*, ut etiam hoc nomine conveniat *in bubonibus & carbunculis maturandis & aperientis*. Eo spectant *Emplastra de fuligine*, non unius præscriptionis, cujusmodi extat *Riccii* cujusdam, & illud *in Pharmacopœa Augustana* (n) recensitum, quamvis *nec mole, nec virtute præcipuum ingrediens esse fuligo appareat*, utpote multis aliis actioribus septicis, & maturantibus permista. Equidem *picthorum fuligini*, ex *vitriariis officinis petendæ*, *Dioscorides* non modo crem, sed & *erodendi potentiam* tribuit, qualis tamen nulla mihi hactenus comperta est, ut ideo suspicari liceat, corruptum esse *Dioscoridis* locum, præcipue quia hunc statim excipit contraria quaedam assertio, *quod eadem fuligo, adhibita cum cerato faceo, membra fracta perducatur ad cicatricem*. Non facile auidem dixerim, qua intentione *ad carcinomata, & mammarum inimis cancrum, fuligo* commendetur, uti sane *Io. Anglicus* (o) *alverem ejus cancri corrosionem occidere atque mortificare certo*, firmat, cui quod experientia suffragetur, minime constat. Quamvis enim *siccando & corrigendo putredinem* aliquid conferre deatur, in tam contumaci tamen, & ordinarie insanabili malo, quod est *exulceratus cancer*, sufficere posse, neutiquam credendum est, eoque magis obscurum, quid tandem *exigua fuliginis portio* in magna quantitate *dracontii, & arsenici*, conferre valeat, constituendo tam nobili *medicamento anticancrino*, quale olim prædicatum fuit iste *pulvis Ant. Fuchsi*, de quo, & in ejus definitionem contra vetus *Dispensatorium Norimbergense*, prolixè commentatus est *Andr. Libavius* (p); neque enim a signatura nigre-

(n) p. m. 235. (o) Ros. anglic. p. m. 1026. (p) Cist. med. Schnizeri p. 115, & seqq.

negredinis in *fuligine* ad canceri curationem aliquid induci posse existimo.

§. XXXV.

Cæterum aliæ quidem ac *diversa* a diversis laudantur *fuliginis virtutes*, usu externo comprobatae, nominatim adversus *lumbricos*, a *Nic. Chesneau* (q), contra *crinones*, ab *Ettmüllero* (r), *passionem hystericam*, a *Jüngkenio* (s), *febres*, *epicarpii cataplasmatibus*, aut *emplastris* forma, autoribus variis &c. quæ tamen, & similia experimenta, aut *dubia fidei* esse, aut ita comparata puto, ut qualiscunque effectus, non tam *fuligini*, quam *admixtis rebus aliis* debeatur. Majori autem probabilitate nituntur assertiones *singularium* quorundam *usuum topicorum olei & spiritus fuliginis*. Sic istud *oleum* non rectificatum in *scabie fœda*, *Glauberus* l. c. in *ambustis*, ad *dolorem mitigandum* *Jüngkenius* l. c. *spiritum* autem *rectificatum*, in *vehementia paroxysmi podagræ*, *Dan. Ludovici* (t) haud leviter profuisse observarunt. Ast fidem propemodum superat, quod *Jo. Hartmannus* l. c. perhibet de *sale fixo fuliginis*, e capite mortuo per *acetum* extracto, deinceps *coagulato*, & rursus in loco *humido frigido*, per se in *liquorem* soluto, quo *ulcera cancrosa* semel iterumque *inuncta*, *venenositatem* suam visibiliber, *vaporis* instar reddant: hinc vero *oleum rectificatum* leni *adspergine* sæpius *illitum*, *crustam*, instar *cuticulæ* *suprainducatur*, quæ sponte suo *spatio* quinque vel sex *dierum* cadens, *ulcus consolidatum* esse indicet. Hæc ille; quæ si præstiterit aliquis, erit mihi magnus *Apollo!*

§. XXXVI.

Usibus fuliginis hucusque recensitis, proprie *medicis*, accedere non poenitebit quosdam *paulo remotiores*, nempe *cosmeticos*. Talem *Dioscorides* adstruxit *fuligini* seorsim *picis liquido* quod ad *pigmenta* faciat, quibus *palpebrae* *linuntur*, ac *venustantur*

(q) l. c. p. m. 580. (r) Differt. V. de affect. infant. (s) l. c. p. m. 180. (t) Miscell. A. N. C. D. I. A. III. Obs. 248.

tantur, item, ubi *glabris genis* pilos restitui oportet. Eundem
 sum *Plinius* (u) tribuit *fungis lucernarum*, ac *fuligini*, quae
 est in rostris earum, si cum adipe ursino, ladano, & adianto mi-
 ceantur. Consentit l. c. *Galenus*, inprimis *fuliginem thuris* ad
 ἀλλύβλησθαυ usurpari. Nec desunt diversorum poetarum alio-
 rumque veterum autorum testimonia, de *fuliginis* laudato usu
 in emendandis superciliis, tingendisque pilis; quam in rem legi
 potest *lac. Grandii*, de stibii in re cosmetica usu, dissertatio (x).
 Notasse vero etiam vel obiter decet *usum fuliginis in dentifri-*
is, sane non rarum, nec incongruum, quem ex ipsa ejus natura,
 perius abunde exposita, facile licet aestimare.

§. XXXVII.

Tandem vero paulisper extra oleas vagari, & *reliquos fuli-*
nis usus non medicinales, sed alio spectantes breviter rimari
 incipio. Hic primum occurrit ille notissimus, *in conficiendo sa-*
ammoniaco; siquidem hoc, ad quinque partes urinae, & unam
 is communis partem, *fuliginis* dimidiam communiter recipere
 constat, enchirisi congrua invicem miscendo & coagulando; qua
 ratione *salsedo fuliginis associatur illi in urina*, & utraque vo-
 cabilis alcalicae naturae, coquendo figitur ab acido salis commu-
 nis. Quod si vero quidam conjecturae locus est, existimaverim
 o, *fuliginis sulphureo-terream materiam facere ad implicandas*
questrandasque particulas urinae oleoso-mucosas, mixturae salis
 ad convenientes. Analogum quid habemus in elaboratione
 is communis fontani, ad quod purum reddendum, & nitide
 coagulandum, requiritur vel ovorum gallinaceorum vel sanguinis
 villi lenta viscido-que terrea materies. *Alter usus fuliginis*
tatu dignus, chimico-mechanicus est, in reducendis corpori-
bus metallicis, quem quidem habet communem cum aliis rebus
 oleoso-pinguibus, & flammam concipientibus, sicut ex chimico-
 m libris, speciatim *compendio Rothiano* (y) colligere licet.

E

§. XXXVIII.

(u) Lib. XXVIII. C. XI, (x) Vid. Append. M, A. N, C. D. II, A. VI.
 p. 108, & seqq. (y) p. 79.

§. XXXVIII.

Dubito fere, num *plures fuliginis usus non medicos, sed mechanicos* exponere debeam. Quare paucissimis tantum verbis attingo illum, uti vulgatissimum hodie, ita nobilissimum, *pro atramento typographico componendo*, cujus rationem quam clarissime tradidit *P. M. Caneparus (z)*. Et jam olim usitatum fuit *atramentum librarium, ex fuligine vulgaris resinae, gummi subacta* paratum, cujus praeter *Vitruvium* l. c. meminerunt etiam *Dioscorides* ac *Plinius*: Modum vero compositionis, quae etiam *gluten taurinum*, & *chalcanthi* vel atramenti futorii nonnihil recipit, accuratius edocet *Oribasius (a)*; quare mirari subit, quod *Axtius* l. c. negaverit, veteres indicasse, quo pacto fiat *ex fuligine* atramentum scriptorium, cujus quoque rationem ipse ignoraverit, cum aegerrime subtilior aut volatilis illa fuligo aqueis liquoribus subigatur, facillime autem oleo. Sed quemadmodum hoc tritissimum est, quotidianis *pictorum & tinctorum speciminibus*, ita pariter constat prioris commissionis facilitas. Porro & hoc breviter adscribo *fuliginis utilitatibus, quod ipsa campis, agris hortisque inspersa, non parum conducatur foecundando, partim etiam exedendo muscorum & lichenum vitia*; quam in rem conferripoteroit *Verulamius (b)*. Ego autem ex hisce sordibus me nunc subduco, tametsi non diffitear, potuisse multo plura in medium afferri pro illustranda *fuliginis physico-medica historia*, quae fortassis alia occasione adjicientur. Interea non possum non, cum *Claudero*, depraedicare *divinam benignitatem, quae cuilibet patrifamilias, sive is inhabitet regium palatium, sive levissimum tuguriolum, elargiatur tam multiplicis utilitatis materiam, fuliginem puta, quasi gratis suam opem commendantem*. Et sane ad *medicas ejusdem facultates retro respiciens* facile meum facio *Io. Dolaei epiphonema (c)*: *Si fuliginis virtus melius dignosceretur, a Garamantis & Indis multa non coemeremus medicamenta!*

T A N T V M!

(z) De Atrament. Descript. IV. c. 4.

(a) Medic. Collect. Lib. XIII.

(b) Hist. natur. Cent. VI, ref. 97.

(c) Encyclop. med. l. I, c. 10. p. 154.

NOBILISS. ATQVE CLARISSIMO
DN. CANDIDATO

S. P. D.

IO. IAC. BAIERVS D.
ORDINIS MED. SENIOR
ET ACAD. H. T. RECTOR.

Nae Tu nomen Tuum praefurnio fuliginoso creta inscribere, hoc est, operam perdere videris, dum è fuliginis tractatione luculentum testimonium et laudem eruditionis adipisci Te posse confidis! Ita quidem fortasse iudicabunt malevoli, aut qui materiam Tuae Dissertationis ex vulgi saltem praeiudicio aestimant. Tu autem tales minime curabis, quippe Tibi conscius, bonis doctisque Viris haud improbatum iri obproborem Tuum, cuius capeffendi rationem et consilium ipsemet in proce- sio satis aperuisti. Quare et ego atrae fuligini Tuae album adicio calculum, nec dubito quin plures habiturus sim ὁμοψήφως, tam Lecto- res illius speciminis, quam Auditores defensionis Tuae in publico certa- mine. Ita sane iam sustinuisti consuetas probationes alias, ut inter dignis- simos honorum Academicorum Candidatos Te merito numeraverit Colle- gium nostrum, Tibique gratulatum sit egregios studiorum Tuorum pro- ceptus. Neque enim ea duntaxat feliciter assecutus es, quae propius ad τερψικόνιον pertinent, verum etiam quae ad τὸ εὖ εἶναι faciunt; quo nomine singularem Tuam in historia naturali, in re herbaria inpr- is, tum et anatomica et chimica peritiam intelligo, et quae humaniora vocare solemus studia. Horum praecipue fiducia, tum quoque propter bonos mores Tuos, factum esse nosti, quod filios meos institutioni ac disci- plinae Tuae commiserim. Sicut autem hoc in negotio Tuam fidem et industriam satis comprobasti, ita meum amorem ac benefaciendi studium excitasti, ut officii adeo inter nos certatum fuerit. Ego vero nunc disce- rentem Te piis votis prosequor, DEum T. O. M. precatus, ut dignam pietate, virtute et eruditione Tua fortunam largiri, Teque, in Veneran- torum Parentum aliorumque amicorum singulare solatium et gaudium incolumem atque florentem per diu conservare velit! Dab. ex Museo,
d. VI. Cal. Decemb. A. R. S. c15 15 c c XXII.

Quam-

Quamvis Fuligo fumo concreta sit atro,
TE tamen Autore hæc nitida nunc luce
 refulget.

Hinc splendet doctrina Tua, hinc & splendida
 fama:

Doctoris splendor, **T**E lætaque cuncta sequentur.

*Nobilissimo DN. Candidato,
 Amico suo suavissimo,
 Honoris, affectus faustæque gratu-
 lationis ergo scr.*

IOHANNES JACOBVS JANTKE, D.

Serenissimi Ducis Solisbaco-Palatini
 Confiliarius & Archiater,
 Theoriæ Prof. Publ.

Αἰθαλόεντα Θεὸν χαρίεσσα πόλ' ἤρατο Κύπρις
 οὐδὲ λέχῳ κείνῳ δείδιε κοινὸν ἔχειν.
 Ἰητρὸν χαρίεντα τὶ δεῖ καταρτέμεν ἄνδρα
 ἄιθαλον οὐκ ἀσόφως χείρεσι μιγνύμενον.

*Nobilissimo Dom. Candidato,
 de Fuligine eruditam dissertationem
 inauguralem offerenti,
 paucis his
 αὐτοχρῆδως gratulabatur*

IO. HENR. SCHVLZE, M. D. ET P. P.

h. t. Decanus.

